





M 1789 vac.

668 7/

1788, 2

COMMENTATIO IVRIDICA  
DE  
VSV IVRIS ROMANI  
DOTALIS IN FORIS  
HAMBVRGENSIBVS

QVAM LOCO

DISPVTTATIONIS IN AVGVRALIS  
ILLVSTRI IVRE CONSVLTORVM  
ORDINI

PRO

LICENTIA SVMMOS IN IVRE HONORES

OBTINENDI

EXHIBET

CAROLVS IACOBVS SIGISMUND.  
SCHMIDT  
HAMBVRGENSIS  
NOTAR. CAESAR. PVBL.

DIE XIX APRIL. ANNI MDCCCLXXXVIII.

HELMSTADII  
TYPIS IOH. HENRIC. KÜHNLIN.



VIRO  
CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**IOHANNI SIGISMUNDΟ**  
SCHMIDT  
MEDICINAE DOCTORI  
DECANO CALENDARVM REVERENDI  
CAPITVLI HAMBVRGENSIS ET  
PRACTICO PER XXXVIII ANNOS  
APVD HAMBVRGENSES  
FELICISSIMO

PARENTI SVO OPTIMO  
AD CINERES VSQVE VENERANDO

HOC

SPECIMEN ACADEMICVM IN AVGVRALE

CONSECRAT

filius obedientissimus

CAROL. IACOB. SIGISM.  
SCHMIDT.

DE  
VSV IVRIS DOTALIS IN FORIS  
HAMBVRGENSIBVS.

§. I.  
*Instituti ratio.*

**Q**ui de communione honorum inter coniuges vniuersali, iure Germanico passim approbata, laudabili studio, tradiderunt doctores, in eo plerique consentire videntur, quod ea discrimen bonorum dotarium et Paraphernalium penitus excludat et doctrinam iuris Romani de dote mulierum inutilem reddat. a) Sed iam alii obiter et quasi aliud agendo obseruarunt, hanc thesin vniuersaliter defendi non posse. b) Quum itaque iure patrio Hamburgensi communio coniugalis, ad promouenda commercia quam maxime accommodata, ex moribus medii aeui, Saxonice praesertim c) retenta et stabilita sit; *speciminis inauguralis*

A 3

loco

loco, quantum pro virium mearum imbecillitate fieri potest et instituti ratio permittit, de usu iuris Romani dotalis in foris nostris Hamburgensibus differere constituit.

a) vid. e. g. IOH: RVDOLPH, ENGAV in d. de bonorum inter conjuges, Sueos speciatim Memmingenses, communio §. 15. Ien. 1751. Ioach. Luc. Stein in der Abhandlung des Lübischen Rechts, part. I. § 109. DE SELCHOV in elem. iur. German. de commun. bono. §. 472. CANGIESER. in decisi. summ. appellat. senat. Hass. Caff. tom. I. decisi. II.

b) Heinrich Arnold Lange in tr. von der Gemeinschaft der Güter unter den deutschen Eheleuten. 4. Hauptft. §. 6. seqq. Bayreuth 1766. 8. IVST. HENNING. BOEHMER. in d. de communione acris alieni inter conjuges Hamburgenses, in exercit. ad pandect. tom. 4. pag. 590.

c) MICHAEL RICHEY in historia statutorum Hamburgensium. cap. 3. §. 3. MATH. SCHLÜTER vom Erbrechte der Eheleute in prooem. §. 115. seqq.

## §. II.

*Quid hoc loco sit ius dotalis.*

Ne autem aequiuocanda dicendi ratione sine explicatione utar, praemonendum essedux vi, me sub iure dotali Romano, quaenam pracepta intelligere, quae in corpore iuris Iustinianeo continentur et dotem sive  
con-

constituendam, sive etiam iam constitutam  
concernunt. *Causa* itaque *dotalis* mihi iam  
est, factum dotem constituendam, vel iam  
constitutam concernens, in quo definitio-  
nandum est, quid iuris sit? *Dos* autem hoc  
loco in sensu iuris Romani sumta est res  
*marito concessa*, ut ex eius emolumentis one-  
ra matrimonii ei subleuentur. a) *Quamuis*  
in nostris statutis vox, *Brautschatz*, saepe  
denotet, *bona quae a novo coniuge, sive ma-*  
*rito sive vxore, ad communionem bonorum*  
*coniugalem conferuntur.* b)

- a) L. 56. §. 1. D. de *iur. dot.*  
b) vid. v. g. *flat. Hamburg.* part. 2. tit. 5. art. II.

### §. III.

#### *Principium de applicatione iuris Rom.* *in causis dotalibus.*

Ius Rom. Iustinianeum in *republica Ham-*  
*burgensi* quoque in *subsidiū receptū esse*,  
tam ex generali legum imperii approbatio-  
ne, a) quam etiam ex remissione iuris hu-  
ius statutarī ad ius commune, b) abunde  
intelligitur. Ergo quoque in *causis dotali-*

A 4

bus

bus valet, modo ante omnia domestici iuris sancita, ex suis fontibus explicata, c) applicentur, nec patrii cuiusdam instituti ratio peregrini iuris usum impeditat. d)

- a) ord. eam 1495. tit. 1. §. 4. R. I. 1654. §. 105.
- b) v. g. Part 1. iit. 21. art. 1. 2. part. 1. tit. 40. art. 3.
- c) SIM. PET. GASSER in d. de brocardo: statuta interpretanda esse ex iure communi §. 2. 22. EC-CARD. in hermeneutica iuris lib. 2. c. 1. ibique WALCH.
- d) Adolph Dieterich Weber vom heutigen Gebrauch des römischen Rechts. Schwer. Wism. und Bützow 1782. §. 5.

#### §. IV.

##### *De communionis praesertim coniugalis diuera ratione.*

Iam vero quum communio bonorum coniugalis, statutis nostris approbata, sit institutum illud, quod usui iuris Romani potissimum obstat videtur, videndum, qualis ea sit, et quatenus haec eiusmodi principia stabiliat, quae cum Romani iuris praeceptis confistere nequeunt? *Communio generatim considerata in iure quodam confitit,*

fit, quod pluribus circa unam eamdemque rem pro indiviso competit. Et hocce ius 1) vel usum tantum, vel etiam proprietatem rei concernere; 2) vel omnia, vel quedam tantum bona eorum, qui communionis sunt participes, pro obiecto habere potest. Itaque facile patet, communionem esse vel usus, vel proprietatis, atque vel universalem, vel particularem. Et quia 3) ius pro indiviso pluribus vel ita competere potest, ut singuli ne quidem partes quotas habeant, vel ut pro parte quadam quota cuius communionis participi proprium sit; communionio etiam est vel *in solidum* competens, quae omnimoda etiam vocatur, vel *partaria*. a) Quum itaque communionio conjugalis sit ea, quae inter coniuges, matrimonii causa, constituta est, nullo negotio intelligitur, hanc quoque esse 1) vel usus b) vel proprietatis; 2) vel universalem vel particularem; c) 3) vel partiarium, vel omnimodam.

a) De hac distinctione a plerisque doctoribus neglecta vid. IOH. BEHRMANN, comm. de iuribus atque obligationibus matris tutricis circa admis-

*nistrationem bonorum a defuncto marito relictorum  
secundum ius statutarium Hamburgense. Goetting.  
1771. §. 3. 4. 5. IOH. FR. GILDEMEISTER  
in specim. de communione bonorum inter conju-  
ges maxima ex legibus Bremanis. Goetting. 1775.  
§. 10. Ernst Christ. Westphal i. d. deutschen  
und reichsfäldischen Privatr. 44. Abhandl. §. 4.*

- b) Qualem apud Romanos. obtinuisse GERH. NOODT  
aliique statuunt. Sed conf. Lange c. tr. pag. 31.  
GILDEMEISTER. c. l. § 4.
- c) Cuius praecipua species est communio acque-  
*situs coniugalis, die Gemeinschaft der ehelichen  
Errungenschaft.*

### §. V.

*Qualis sit communio bonorum coniugalis ex  
mente statutorum Hamburgensium.*

Communionem bonorum vniuersalem  
eamque proprietatis et omnimodam inter  
coniuges ex vsu medii aei per vniuersam  
fere Germaniam obtinuisse, iam alii lucu-  
lenta ratione commonstrarunt a). Atque  
haec ea est, quam Hamburgensium legisla-  
tores ad hunc usque diem prudenter con-  
seruarunt, quamuis hinc inde effectus eius,  
vbi praesertim habita ratione ad principia  
iuris Romani rigidiores videbantur, re-  
stringerent. In qua re demonstranda ot-  
ium

um mihi iam fecerunt alii, b) quos exscri-  
bere non placet, nec instituti ratio, vt  
haec vterius persequar, desiderat.

a) LANGE c. I. pag. 44. seqq. GILDEMEISTER c. I.  
§. 5. seqq.

b) HENRIC. BROKES d. de bonorum coniuges inter  
Hamburgenses communione. Ien. 1747 i. H. BOEH-  
MER c. I. BEHRMANN, c. I. §. 9. seqq. AMSINK d.  
de Successione liberorum separatarum ex iure Ham-  
burgensi. Goetting. 1774. §. I. HERM. DOOR-  
MANN, iu d. usufructu paterno in bonis libero-  
rum aduentis. ex communitone bonorum Hamburg.  
Goetting. 1776. §. 3. 4.

## §. VI.

Haece communio impedit applicationem do-  
ctrinae iuris Romani de usufructu et  
proprietate dotis.

Eiusmodi autem communio coniugalis  
in easu obuio expresse vel tacite inita effi-  
cit, vt non solum vsus, sed et proprietas  
omnium honorum mariti cum vxore et hu-  
iuis cum marito ita communicetur, vt v-  
num idemque patrimonium constituant,  
quod nequidem pro parte quota marito  
vel vxori proprium est, sed cunctibet eo-  
rum

rum in solidum competit. a) Ex quo facile patet, quod ea constituta, exulet differentia bonorum muliebrium *in dotalia et parapbernalia* et quae de usufructu et proprietate dotis Romani iuris conditores praescripserunt. Vtriusque enim generis bona, ex sententia iuris Romani, deficiente speciali pæsto, non sunt communia, sed *parapbernalia* in solius vxoris proprietate et usu permanent. b) Iura autem circa rem dotalem competentia maritum inter et vxorem ita sunt diuisa, ut ille usumfructum, exercitium etiam proprietatis, quod dominium ciuale dicunt, habeat; c) vxori autem dominium naturale seu quod durante matrimonio regulariter quiescit, tribuatur. d) Praeterquam in casu, quo dos in quantitate i. e. rebus fungibilibus consistit, quae pleno iure marito acquiruntur, ita, ut etiam eius sint periculo et quandoque soluto matrimonio eiusdam generis et qualitatis alias restituere teneatur. e)

- a) Mann und Weib haben nicht gezweytes Guth zu ihrem Leibe. Ius prov. Saxon. lib. 1. art. 3.  
b) L. 8. C. de pact. convent.

- o fa-  
diffe-  
otalia-  
tu et  
tores  
neris  
efici-  
unia,  
prie-  
n cir-  
inter  
infru-  
quod  
xori  
ante  
oua-  
s in  
ftit,  
ita,  
que  
ua-  
bzus  
c)
- c) L. 7. §. 3. D. de iure dot. L. 23. C. eod. pr. I.  
quib. alienor licet L. 9. C. de rei vindicat.
  - d) L. 30. C. de iure dot. L. 75. D. eod.
  - e) L. 42. D. de iure dot. Excipiunt etiam casum, si  
res dotalis venditionis gratia aestimata in dotem  
data est, quo etiam pleno iure rem acquirit et qua-  
litatis debitor efficitur maritus. L. 5. C. de iure  
dot. L. 17. §. 1. D. ead. Sed. quia hoc casu spe-  
ciale pactum supponitur, ad exceptions proprie-  
non pertinet. Ceterum diuisionem in dominium  
civile et naturale ad res etiam mobiles non fun-  
gibles partinere, ex L. 30. C. de iure dot. patet,  
quamvis doctores dissentiant.

### S. VII.

*Efficit etiam vt vnu deſtituantur, quae de  
probibita alienatione fundi dotalis  
ius Rom. conſtituit.*

Quumque ea, quae de probibita, fundi  
dotalis alienatione noviori tempore apud  
Romanos constituta sunt a) supponunt,  
marito competere dominium illud civile,  
in re dotali quod cum communionis nostrae  
natura confistere non potest (§. VI.) conse-  
quens etiam est, quod omnes peregrini iu-  
ris dispositiones, quae dominium mariti ra-  
tione alienationis restringunt, existente  
eiusmodi communione, in foris Hambur-  
gensi-

gensibus vsum non praestent. Sed quaestio,  
de alienatione rei immobilis sub dotis no-  
mine marito illata, ex communionis no-  
strae regulis diiudicanda est. Subsistit ita-  
que, si a marito, vxore expresse vel tacite  
consentiente, facta, b) nec soluto matri-  
monio ullam vindicandi ius vxori aut eius  
heredi competere potest. Quamuis enim  
eiusmodi res ab initio dotalis fuerit, exorta  
tamen arctissima communione nostra, na-  
turam dotis depositum. (§. VI.)

e) L. vnc. §. 15. C. de rei vxor. act. L. vlt. C. de  
fundo dotal. pt. I. quib. alienare licet.  
d) BROKES c. d. §. 17.

### §. VIII.

*Priviliegium dotis in concursu creditorum  
excludit.*

Quandoquidem etiam communio bo-  
norum vnuersalis eaque omnimoda, com-  
munionem etiam omnimodam aeris alieni  
aneretur, patet etiam, omne aes alienum  
duca marito sive ab uxore ante initum ma-  
rimonium, vel etiam eo durante, ex qua-

uis obligandi causa, contractum fuerit, ex  
 vnico illo patrimonio coniugum soluen-  
 dum esse. Orto itaque concursu credito-  
 rum vxori non competit repetitio dotis et  
 illatorum, et frustra prouocat ad hypothe-  
 cam legalem cum priuilegio praelationis  
 coniunctam, quam ius Romanum insecurita-  
 tem dotis illatae constituit. a) Ex eaque  
 ratione ius patrium nostrum disertis verbis  
 disponit; b) *Wienohl nach gemeinen be-  
 schriebenen Kayserlichen Rechten, die Ehefrau ih-  
 res eingebrachten Brautschatzes wegen und da-  
 her rübrenden stillschweigenden Verpfändung,  
 in ihres Mannes Güter vor allen andern Creditoren,  
 ob die gleich ältere stillschweigende Ver-  
 pfändung hätten, vorgezogen werden; so wollen  
 wir doch biemit geordnet haben, daß die Frauen  
 ihres eingebrachten Brautschatzes halben, in  
 ihres Mannes Schulden, so in stehender Ehe ge-  
 macht, nicht allein keinen Vorzug haben, son-  
 dern daß auch derselbe Brautschatz, wie denn  
 zgleichen andere ihre in stehender Ehe ange-  
 erbte Güter, vor ihres Mannes Schulden  
 gänzlich haften und gehalten seyn sollen.*

a)

a) L. 12. §. 1. C. qui potior. in pigror. Nov. 97. c. 3.  
Nov. 91. c. 1.

b) vid. stat. Hamburg. part. 2. tit. 5. §. 10:

### §. IX.

*An vxor etiam pro debitis mariti ante initum  
matrimonium contractis ita teneatur, vt  
repetitio dotis et illatorum cesseret?*

Secundum naturam communionis bonorum vniuersalis et omnimodae, quod modo diximus, vxor omnino etiam pro debitis mariti ante initum matrimonium contractis ita tenetur, vt repetitio dotis et illatorum ideoque etiam priuilegium dotis penitus cesseret, et locum habeat, quod in prouerbi consuetudinem venit: die dem Mann trauet, trauet auch den Schulden. a) Idque antiquis temporibus etiam Hamburgi obtinuisse, postea vero visuali interpretatione recessus cuiusdam ciuitatenis de anno 1528. inualuisse, vt debita mariti ante initum matrimonium contracta ab hac vxoris obligatione eximerentur I. H. BOEHMERRYS docuit. b) Indeque in nouioribus statutis

tutis non solum loco §. praeced. adducto  
 haecce vxoris obligatio, disertis verbis ad  
 debita durante matrimonio contracta, re-  
 stringitur, sed etiam alio loco c) dispositio-  
 num legimus: *Werden nach des Ehemanns  
 Absterben die nachgelassenen Güther mit  
 Schulden Last beschweret befunden, so bleibt  
 der nachgelassenen Witwen eingebrachter  
 Brautschatz vor die Schulden, die in stehe-  
 hender Ehe gemacht seyn, verbunden.* Ex  
 quo recte colligit BOEHMERVS, quod ex  
 mente statutariae huius dispositionis effe-  
 ctum communionis restrigentis, (§. V.)  
 aduersus eiusmodi creditores, qui ante  
 contractum matrimonium marito credide-  
 runt, vxori non solum exceptio, sed eti-  
 am exorto concursu, repetitio dotis et il-  
 latorum sive etiam priuilegium dotale  
 competit. At enim vero haec debito-  
 rum maritalium distinctio variis litibus an-  
 sam praebuit, ideoque per recessum ciuita-  
 zensem anno 1754, publicatum expresse sub-  
 lata et ius antiquum restitutum est verbis:  
*Wie denn der Unterschied, zwischen matri-*

B

monia

monial und antematrimonial Gläubiger hiermit gänzlich aufgehoben und die articulatum statutorum die dieser neuen Verordnung entgegen sind, vorstebender maßen geändert und erkläret werden. Itaque hodie omnia ea, quia laudatus BOEHMER. de diuersitate debitorum matrimonialium, et ante matrimonialium late deduxit, vsum non amplius praestantur sed vxor pro vtrisque debitibus peraeque tenetur ita, vt repetitio dotis et illatorum, hoc fonte deducta, penitus cesseret.

- a) Job Frid. Eisenharts *Grundsätze der deutschen Rechte in Sprichwörtern*, pag. 120. I. H. Böckm. in d. de commun. aeris alieni inter conjuges Hanburg. §. 21. Qui cum Leysero dissentunt, dispositionem iuris Romani configunt, quoniam tamen ius Rom. non agnoscet communionem in solidum competentem, sed ubique de partitaria tantum loquatur, vid. BEHRMANN. c. d. §. seqq.
- b) cit. diff. §. 29.
- c) part. 2. lib. II. §. 13.

## §. X.

*Quatenus ius dotalis Romanum usum praestet,  
si dolus aut error communioni bonorum  
coniugali causam dedit.*

Quandoquidem autem omnis bonorum  
communio coniugalis consensu coniugum, siue  
expresso siue tacito, nitatur. a) Consen-  
sus autem contrarius sit dolus malus et er-  
ror; patet etiam, quod in casu, quo vxor  
ad eam ineundam dolo mariti, vel aeris  
alieni latentis ignorantia commota, con-  
uentio qua contracta est, valorem non ha-  
beat. Ideoque vxori deceptae ab ea rece-  
dere liceat, et hac exceptione se aduersus  
mariti creditores defendere, quin etiam  
exorto concursu, dotem atque illata vin-  
dicare, aut si res dotalis non amplius ex-  
stet, vel in quantitate consistat, priuilegio  
dotis iure communii indulto vii possit (§.  
VIII.) b). Atque hoc etiam statutis nostris  
approbatum c) legimus: *So auch jemand  
binnen dieser Stadt ihm eine Witwe oder Jung-  
frau antrauen liessé und bey der Verlöbniß*

B 2

sich

sich seiner Güther höher, als dieselben wert  
 seyn, berübmte, oder auch keinen Brau-  
 schatz (v. §. II. in fin.) nahrkundig gemach-  
 bätte, und er darnach dergestalt in Schuld  
 vertiefet befunden würde, daß er nach Able-  
 gung derselben nichts eigenes gehabt, od-  
 auch seinen berümmten Brautschatz nicht fre-  
 einbringen könnte; so sollen der Jungfrau  
 und Witwen Güther, vor die Schuld so vor-  
 bin gemacht, sie haben in währender Ehe Kin-  
 der mit einander erzeugt oder nicht, keiner  
 iweges gehalten oder verpflichtet seyn, und soll  
 derselbige seiner Haussfrauen Hauptstuhl, obn  
 der Freunde Willen zu beschweren nicht mächtig  
 seyn. Quia vero hocce ius vxoris  
 communione ob dolum vel errorem recedendi  
 creditoribus periculorum et si matrimonio-  
 um iam per longum temporis spatium du-  
 rauit, et vxor eo vla non est, sed mari-  
 to seu tutori legitimo, d) administratio-  
 nem bonorum suorum quasi communium  
 permisit, haud leuis oritur praesumtio,  
 quod, cognito errore, communionem ini-  
 tam approbauerit; nouiori tempore e re-  
 publica

wert  
 Braut  
 emach  
 chulde  
 b Able  
 , odi  
 bt fre  
 frau  
 so vor  
 be Kin  
 keines  
 nd soll  
 l, obn  
 mächt  
 oris  
 edendi  
 noni  
 n du  
 mari  
 rati  
 nium  
 ntio,  
 i inic  
 e re  
 blica  
 Publica videbatur arctis cancellis illud circumscribere. Sapienter itaque catus est in recessu ciuitatensi anno 1754. promulgato, art. 30. §. 1. 2. Eine Frau die ihrem Mann fünf Iabre vor dessen Falliment gebeurte gebabt, kann ibres Brautschatzes und illatorum halber, wenn gleich der Mann vor ihrer Verbeurathung nichts eigenes besessen, oder wohl gar in Schulden vertieft gewesen, keine Foderung an die Masse machen. Ereignet sich aber das Falliment vor Ablauf solcher ersten fünf Iabre, so ist darauf zu seben, ob der Mann zur Zeit der angetretenen Ehe noch unverschuldet gewesen, auf diesen Fall verliert die Frau ebenfalls allen Anspruch auf ihren Brautschatz und illata. — Findet sich aber das Gegentheil, so soll der Frauen ihr Eingebrachtes so und dergestalt verbleiben, daß sie solches als ihr Eigenthum vindiciren kann.

a) conf. GILDEMEISTER. c. 1. §. II.

b) de cuius tamen restrictione in nostris statutis facta, infra dicandi locus erit.

c) part. 3. lit. 5. §. II.

d) conf. stat. Hamburg. part. 1. lit. 9. art. 1. 5.  
B 3 §. XI.

---



---

### §. XI.

*Quae de dote sponso praenumerata ius Romi  
constituit, usum etiam in foris  
Hamburgensis praestant.*

Quum autem communio bonorum coniugalis, inito matrimonio et facta conscientia thori, initium capiat, a) consequitur etiam, ut quae de dote sponso praenumerata ius Romanum disposuit, ideo quia statuta nostra communionem vniuersalem et omnimodam approbarunt, vnu non destituantur. Qua quidem in re doctores dissentient. Liceat mihi, se posito paulisper auctoritatis praeiudicio, quid sentiam ingenue profiteri. Si deficiente speciali pacto, illatio dotis, quae in quantitate non consistit, ab vxore marito ita facta intelligitur, ut vxor dominium naturale retineat, ex quo, soluto postea matrimonio, vindicandi facultas oritur; b) ex eadem ratione sponsa etiam, quae eiusmodi dotem ante contractum matrimonium sponsa dedit, non secundis ob mortem forte sponsi,

aut

aut aliud impedimentum nuptiis, rem ex-  
stantem vindicare poterit. Sinvero, quia  
res dotalis, culpa sponsi deperdita, aut in  
Quantitate consistit, vindicari nequit, *con-  
ditio causa dota causa non sequuta competit*,  
quae cum priuilegio quodam coniuncta est,  
vi cuius eiusmodi sponsa creditrix chirogra-  
pharios creditores procul dubio praecedit.  
Sed an etiam legalis hypotheca eaque priui-  
legiata ei concessa sit? disceptatur. Affirmanti-  
um sententiae accedo. c) Teste enim HERMO-  
GENIANO d) ad eiusmodi sponsam *priuilegi-  
um dotis personale extendi aequum iam puta-  
runt ICti Rom. in cuius locum postea IV-  
STINIANVS imperator hypothecam qualifica-  
tam surrogauit. e)*

a) *tus Saxon. provinc. lib. I. art. 45.* BROKES cit.  
diff. §. 19.

b) L. 30. C. *de iure dot.*

c) quam ex instituto defendit PAVL. IACOB FEW-  
ERLEIN in *comment. de priuilegio dotis sponsae  
competente.* Helmstad. 1772. quem sequitur  
WALCH. in *controversi. iur. civilis.* p. 29.

d) L. 74. D. *de iure dot.*

e) L. 12. §. 1. C. *qui patior. in pignor.*

## §. XII.

*Nec impeditur applicatio iuris Romani, si dos  
novo marito illata, qui ante conseenzionem  
thori obiit.*

Neque eo casu applicatio iuris Romani dotalis impedita mihi videtur, si ponimus, sponsa dotem prae numerauit, vel etiam vxor, statim facta copulatione sacerdotali, nouo marito rem dotalem dedit. Ast, conseenctione thori nondum facta, hic diem obiit supremum. Nondum enim in hoc nostro casu orta erat communio illa coniugalis, quae prouti antea dictum, (§. VI.) dotis naturam mutat.

## §. XIII.

*Valent etiam in foris nostris, quae de dote  
confiituenda, cauta et non numerata,  
et eius evictione ius Romanum  
dispositum.*

Et quia posita communione coniugali vniuersali et omnimoda, nulla ponitur regula

gula; quae praexceptis iuris Rom. de dote  
constituenda, de hypotheca legali ob dotem  
promissam competente a) de dote cauta et  
non numerata b) de euictione in causa dotali  
praestanda, c) vlla ratione repugnet; vale-  
bunt etiam haec in foris nostris, nisi aliud  
institutum patrium, vel domesticam iuris di-  
spositionem usum iuris Romani impedire  
monstraueris.

- a) L. unic. C. de rei vxor. act.
- b) vid. tit. C. de dote cauta et non numerata. Nov.  
100. c. 2.
- c) L. I, C. de iure dot.

#### §. XIV.

*Speciatim de dote constituenda a parentibus.*

*Obligatio dotandi*, secundum ius Roma-  
num considerata, vel immediate *ex lege ori-  
tur*, vel *ex dispositione priuati*. Ex lege ob-  
ligatur 1) pater filiam familias non locuple-  
tem dotare, a) ne nubendi conditio impe-  
diatur et quia pater commodis patriae poten-  
tatis fruitur. 2) Mater vero non, nisi ex

B 5

magna

*magna et probabili causa.* b) Hancē obligationem parentibus impositam non tollunt statuta Hamburgensia, ideo quia communionem coniugalem approbant. c) Quamuis, si adest inter parentes communio bonorum coniugalis vniuersalis et omnimoda, haecce etiam legalis obligatio, quia ex bonis adimplenda est, tamquam commune debitum considerari debeat, quod ex unico illo coniugum patrimonio ab utroque parente praestandum. (§. VIII.) Et, si ponimus casum, quo defuncto alterutro coniuge, inter superstitem et liberos prorogata est communio, d) superstiti etiam, sive patri sive matri, quia solus bonis communibus fruitur, obligatio dotandi incumbit. e)

- a) L. 19. D. de *rita nuptiar.* PFENDORF. tom. I. obs. 68. Strubens *rechtlische Bedenken* tom. I. n. 57. KNORR. d. de *dote filiae locupletis* §. 6.
- b) L. 14. C. de *iure dot.* L. 19. §. 1. C. de *haeretic.*
- c) LANGE & I.
- d) vid. *stat. Hamburgens.* part. 3. lit. 3. art. 1.
- e) GEORG LVD. BOEHMER, in diss. de *iuribus et obligat. conjugis superstitis ex communione bonorum vniuersali in clieſt. iur. civ.* tom. 3. exercit. 17. §. 20. et 23.

§. XV

---



---

### §. XV.

*De constitutione dotis conventionali et  
praesertim indeterminata promissione  
ex mente iuris Romani.*

Non solum immediate *ex lege*, sed etiam *dispositione priuati obligatio* dotandi constitui potest, et quidem vel conuentione, vel ultima voluntate quo pertinet *legatum dotis* constituendae. De conuentione eiusmodi dotali, inter alia ius Romanum constituit, *quod valeat indeterminata dotis promissio*. Maximopere tamen dissentunt doctores, si quaeritur, an hoc assertum in vniuersum verum sit? Alii hanc dispositiōnem, quia a regula aberrare videtur, ad patrem promissorem restringunt. a) Alii quaestionem sine distinctione affirmant. b) Sed, si ad fontes recurrimus, res clara et ex legum sententia distinguendum videtur: dos promittitur vel ab ipsa muliere futuro aut etiam iam nupto marito, vel ab alio. Priori casu indeterminata dotis promissio perfectam obligationem non producit. c)

Posterior

Posteriori autem valet eiusmodi promissio,  
sive a patre mulieris facta, d) sive ab ex-  
traneo. e)

- a) v. g. GEORG. AD. STRVIVS *in euolut. controversiar.* exercit. 30. pag. 429. IOH. AVG. HELL-  
FELD. *in iurispr. forens. sec. pand.* §. 1238.
- b) REINH. BACHOV. ad WESENBECK. n. 5. WALCH.  
*in controversj. iur.* pag. 44.
- c) L. I. C. *de dotis promiss.*
- d) quem casum decidit. L. 69. §. 4. D. *de iure dot.*
- e) L. 3. C. *de dot. promiss.*

### §. XVI.

*Quatenus Romani iuris dispositio de indeter-  
minata dotis promissione in foris  
Hamburgensis valeat?*

Iam de vsu Romanae buius dispositionis  
in foris Hamburgensis, si quaeris, distin-  
guendi videntur casus, quo mulier dotem  
a se inferendam promittit, vel alia persona.  
Si prius vel matrimonium iam contractum  
etque communio bonorum vniuersalis et  
omni-

omnimoda inita est, vel non. Priori casu eiusmodi pactum dotale pro irrito habendum, quia omnia bona coniugum iam confusa sunt et vnum idemque patrimonium constituunt. (§. VI.) Posteriori autem casu in pacto huiusmodi dotali vel etiam communio statutaria exclusa est, vel dos tantum indeterminate promissa. Si prius, pacto eiusmodi rite inito, remouetur etiam impedimentum, quod usui iuris Romanii obstat, ideoque valebit, quod ius Romanum constituit. (§. XV.) Sin vero posterius, a) alio interpretandi fundamento deficiente, hocce pactum ita intelligendum est, prouti cum *statutaria nostra communione* consentit, ideoque vox, *Brautschatz*, bona ad communionem coniugalem conferenda, indigitat, (§. II. in fin.) et quia sponsa, in nostro casu indefinite locuta, quod statuta disponunt voluisse censenda est; indeque omnia sua bona conferre obstringitur.

Si vero eam speciem consideramus, qua ponitur, non ipsam mulierem dotem a se in-

inferendam, sed aliam personam dotent  
indeterminatam promisisse, nihil nobis oc-  
currat, quod usui iuris Romani in nostris  
foris impedimentum obiicere possit. Va-  
lebit itaque dispositio, quae indetermina-  
tam dotis promissionem validam pronunci-  
at. (§. XV. not. d. e)

a) Si nempe in instrumento nuptiali nihil quidem  
de communione coniugali excludenda, sed ta-  
men haec promissio continetur: *Der Braut  
verspricht dem Bräutigam einen Bräutschatz zu-  
zubringen.*

### §. XVII.

*Quae de legato dotis ius Romanum preecepit,  
vsum in nostris foris preestant.*

Quumque testamenti factio sit institutum  
peregrinum a Romanis ad nos translatum, ne-  
mo facile dubitabit, ea, quae de *legato dotis*  
constituendae ius Romanum dispositi, a)  
etiam in foris nostris vsum habere. Diu-  
dicanda itaque eiusmodi legata sunt, tam  
ratione

ratione formae quam effectus, secundum  
praecepta iuris Rom. Iustinian. (§. III.)

- a) de quo accurate disseruit DAN. NETTEBLADT. in  
disp. *de legato dotis constitutae Halae. 1769.*  
quam in compendio exhibet Fr. Georg. August.  
*Lobethan* in tr. qui inscribitur, *vollständige Ab-  
handlung der Lehre von der Erkfolge. §. 191.*

### §. XVIII.

*Pactum nuptiale communionem excludens  
locum facit applicationi iuris  
Romani dotalis.*

Quia denique in causis, vbi de effecti-  
bus matrimonii accidentalibus quaeritur,  
pacta nuptialis legitime inita statutis deroga-  
nt; a) communio etiam coniugalis statu-  
taria, pacto nuptiali excludi posse non est  
dubitandum. b) Si itaque adest eiusmodi  
pactum legitime initum, remotum est et-  
iam impedimentum, quod applicationi iuri-  
s Romani in causis dotalibus obstabat.  
Constituta igitur dote ea etiam valent, quae  
ius

ius Rom. de usufructu et proprietate rei dotalis, (§. VI.) de alienatione et repetitione eius constituit, atque exorto concursu creditorum, res dotalis existans vindicari potest, aut si culpa mariti desperita, vel in quantitate consistit, vel venditionis gratia aestimata fuerit, hypothecaria actio locum habet. c) Et si vxori opponant creditores mariti, regulam iuris Germanici statutis nostris expresse approbatam, d) die dem Mann trauet, trauet auch den Schulden, replicare poterit, quod haec regula coniugalem communionem supponat (§. VIII.) id eoque in casu obuio perdat officium suum.

- a) *Chrift. Gottl. Riccius von den Stadtgesetzen lib. 2. c. 10. pag. 429. DE SELCHOV. in elem. iur. Germ. §. 55. vid. stat. Hamburg. part. 2. lit. II. §. II.*
- b) I. H. BOEHMER. c. L §. 41. GILDEMEISTER. c. d. §. 21.
- c) BOEHMER. c. I.
- d) part. 2. tit. 5. §. 10.

§. XIX.



## §. XIX.

*Limitatum tamen est priuilegium hypothecae  
dotalis vxori secundum ius Rom.  
competens statutis nostris.*

Quamuis autem IUSTINIANVS imperator  
vxori, in securitatem illatae dotis, hypo-  
thecam adeo priuilegiatam concesserit, vt  
aliis omnibus creditoribus mariti, licet an-  
teriore etiam hypotheca gaudeant, praese-  
ratur. a) Iniquum tamen videbatur quam  
plurimis doctoribus, vxorem iis etiam praec-  
edere, qui eo tempore, quo vxor ius pi-  
gnoris consecuta est, iam expressam hypo-  
thecam habuerunt; ideoque verba impera-  
toris generalia ad hypothecas tacitas restrin-  
genda esse existimarunt. b) Atque haec  
sententia a statutorum nostrorum condito-  
ribus tanquam recepta allegatur. c) Statu-  
endum itaque est, hocce priuilegium do-  
tis, ex mente statutorum nostrorum, quo-  
dammodo restrictum et ad aequitatis limites  
redactum esse.

a) L. 12, §. 1. C. in pign. ibi: contra omnes credi-  
tores, licet anteriori sunt temporis priuilegio val-  
lati.

C

*lati.* L: 30. C. de iure dot. omnem habere praerogatiua iubemus, et neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt. --- Nov. 97. c. 2. aduersus antiquiores creditores,

- b) vid. BACHOV. ad TREVTLER. part. 2. disputat.
- 24. Ernst Chr. Westphal v. Pfandrechte, §. 164
- c) part. 2. lit. 5. art. 10. Wievol nach beschriebenen Kayserlichen Rechten die Frau ihres eingebrauchten Brautschatzes wegen und daher rükrender stillschweigenden Verpfändung in ihres Mannes Gütern, vor allen andern Creditoren, ob die gleich ältere stillschweigende Verpfändungen hätten, vorgezogen werden. --- conf. part. 2. lit. 5. art. 1. et die neue revidirte Banquerottair und Falliten Ordn. art. 9.

### §. XX.

*De pactorum nuptialium forma secundum statuta Hamburgensia.*

Quandoquidem autem pactum nuptiale, quo id intenditar, ut statutaria communio excludatur et dos in sensu iuris Romani constituantur, legitime ineundum est, (§. XIX.) coronidis loco de pactorum nuptialium forma paucis differere licet. Quamuis vero eius-

eiusmodi pacta, secundum principia iuris  
communis in se spectata nullam solennita-  
tem desiderent, a) ad praescindendas tamen  
lites, quae facile oriuntur et non sine am-  
bagibus finiri possunt, si verbis tantum  
ore prolatis contrahuntur, praescribunt  
statuta nostra, b) vt in scripturam redi-  
gantur eique subscriptione et subsignatio-  
ne eorum, quos obligare debent, fides,  
concilietur. Quodsi de bonis hereditariis,  
quae secundum statuta nostra quodammodo  
sunt bona familiae, ineuntur, prox-  
imorum cognatorum consensus per subscri-  
ptionem declarandus est. c) Subsignandi  
autem necessitas vsu fori remissa est. d) Nec  
inualida sunt eiusmodi pacta, si deficit sub-  
scriptio cognatorum, quatenus in eorum  
Praejudicium non tendunt, modo ab ipsis  
pacientibus subscripta fuerint. e)

- a) HELLFELD. in *iurisprudent. forens.* §. 1245.  
b) part. 2. lit. II. Wenn Ehezarter zwischen Ehe-  
leuten seyn aufgerichtet und von denen, die zur  
Verpflichtung dazu erforderl., seyn vollzogen un-  
terschrieben und versiegelt. .... conf. CHRIST.

THOMASII

THOMASII f. respondent: DIEDERIC. ANCKELMANN. d. de pacis dotatibus ad part. 2. lit. ii. iuris statutarii Hamburgens. Hal. 1695. Ulrich von Cramer in den Wetzlarischen Nebenfunden. part. 35. n. 10. pag. 123. seqq.

c) vid. stat. Hamburg. part. 3. tit. t. art. 4. 7. 10. et 11. part. 2. tit. i. art. 4. part. lit. 3. THOMAS. c. d. sect. 2.

d) THOMAS. c. l.

e) von CRAMER cit. loc. §. 2. Ex eo quod forma pactorum nuptialium secundum statuta nostra, in scriptura consistit, dieuntur etiam, Ehezetter, a voce Zerter f. zerte, de cuius nativa significatio vid. Adelung i. d. grammatisch critischen Wörterbuch tom. 5. pag. 373.

Helmstädt, Diss., 1786-95

f



5b.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



COMMENTATIO IVRIDICA

DE

SV IVRIS ROMANI  
DOTALIS IN FORIS

HAMBVRGENSIBVS

QVAM LOCO

SPVTATIONIS IN AVGVRALIS  
LVSTRI IVRE CONSVLTORVM  
ORDINI

PRO

NTIA SVMMOS IN IVRE HONORES

OBTINENDI

EXHIBET

ROLVS IACOBVS SIGISMVNDS.  
S C H M I D T  
HAMBVRGENSIS  
NOTAR. CAESAR. PVBL.

IX APRIL. ANNI MDCCCLXXXVIII.

HELMSTADII

XPIIS IOH. HENRIC. KÜHNLIN,